



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

87. Fer 4. Vehemens affectus erga Christum, Dominum Calicem pro me
bibentem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

142 FERIA 3. DOM. 2. QUADRAG.

fortans eum Luc. 22. simili oratione: Domine, tu potes contra mortem, & infernum genus humanum liberare. Decretum Dei est immutabile: Medium est dolorosum: precium est sanguinis: finis est gloriosus: fructus omnium jucundissimus: hæc est voluntas DEI bona, quia præcepti: bene placens, quia consilij: perfecta, quia à Deo inspirata. *Proposito sibi* tum à Patre, tum ab Angelo, *gaudio*, si crucem subivisset, fore ut thronum obtineret divinitatis, confusione contemptâ, Hebr. 12. D. JESVS ad crucem se resolvit: *Non mea, inquit, sed tua voluntas, Pater, fiat.* Huic voci salutem meam debeo, quam nisi Christus meus addidisset, de salute mea, imò totius mundi fuisset conclamatum.

MEDITATIO LXXXVII.

FERIA 4. DOM. 2. QUADRAG.

Vehemens affectus liquefactionis, quod Christus D. Calicem pro me biberit.

Videho Dominum JESVM recipientem calicem amarum de manu Angeli, & bibeat. Petam esse gratus pro ineffabili ejus erga me dilectione.

Conf. 1. Quomodo factus in agonia (angore, angustia, anxietate animi) prolixius orabat, & factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram: Crassiores guttæ veri

Veri sanguinis, vel aquæ mixtæ sanguine. S.
Irenæus ait fuisse globos sanguinis. L. 3. c. 32.

Conf. 2. Edoctus, quòd Dominus orando
pro translatione à se calicis cū resignatione,
deduxerit nos postulandi modum in malis no-
stris, maximè pœnalibus: Sed & caput quòd
utatur medicinis aduersis, sanum que affliga-
tur pro ægro corpore: Princeps, & Sacerdos
pro populo in se usurpet remedium: pastor
ovibus suo incommodo, & dolore medeatur:
Imò illis de de suo corpore partum, de san-
guine potum conficiat: *Quid retribuam Do-
mino, &c. Calicem salutaris accipiam, &c. Psal.*
115. Et gratias agam 1. DEO Patri, quòd
amore impulsus erga me Filium pro me de-
derit. 2. Gratias agam Filio, qui dilexit me
amore aeterno, ante mundi constitutionem:
Gratuito, quia sine commodo suo per Passio-
nem beneficia contulit: *singulari*, quia ita di-
lexit, ac si socium non haberet: *recto*, qui ad
sanctitatem duceret: *vehementi*, quo tanta
tulit pro me in rebus, Discipulis, Matre, sensi-
bus, corpore, animo, omnibusque potentijs,
patiendò cum tanta humilitate, obedientia,
silentio, mansuetudine, charitate, omnique
virtute: *perseveranti*, quia semper amat. O
si redamare te possem, sicut oportet! 3. Gra-
tias Spiritui Sancto: quia cor Patris & Filij
ad meam redemptionem commovit, Chri-
sti

144 *Feria 5. Dom. 2. Quadrag.*

sti aduentum prænuntiavit, me ad Fidem erexit, à malo retraxit, ad amorem Salvatoris inflammavit, ad mihi renuntiandum, in prosperis & adversis, corpore, & anima, vita & morte, tempore, & æternitate exemplo Filij Dei me permovit.

MEDITATIO LXXXVIII.

Feria 5. Dom. 2. Quadrag.

Ille diligit proximum, qui se negligit.

Aspiciam Dominum ter interrupto cum Patre colloquio ter ad suos visitandos & animandos abivisse. Petam cognitionem veræ in proximum dilectionis.

Conf. 1. Quomodo venit ad Discipulos suos, & invenit eos dormientes, & dixit: Sic itane ubi promissa? non potuistis una horâ vigilare mecum, non solum vigilante, sed etiam orante, sudante, & cum morte pugnante? Vos, qui me dormiente pugnare debebatis, ne vigilare quidem momento potuistis? Et Petro inquit: Simon dormis? non potuisti unâ horâ vigilare mecum corpore & mente, quomodo ergo mortem spernes? Vigilate & orate, ut non intretis in me negandi tentationem. Spiritus quidem promptus est ad confitendum, caro infirma ad tolerandum: quia nondum virtute induti ex alto. In tentationem intrat, qui orare negligit.

Conf. 2.